



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

§ 13. Abbas S. Maximini cessante Exemptione immediatè Imperio soluit subsidia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

esse oportuerit, nam error contra monumenta publica allegatus, nihil operatur absque probatione euidenti, uti DD. & Iura notissima clamant.

S. 12. Similiter Imperij circulus est adscriptus.

EODEM pertinet, quod in antiqua S. R. Imp. partitione in Circulos & Status membraque Imperij, ponatur in Circulo sexto vel Rhenano Archiepiscopus Treuirensis tertio loco, Abbas verò S. Maximini duodecimo, utique tanquam Circuli illius particulare membrum, æquè distinctum contra Archiepiscopum, & æquè immediatè Imperio subiectum quàm alia, quæ ibi enumerantur Imperij membra.

Extat quoque antiquissima Regni Lotharici diuisio facta inter Karolum & Hluduicum Anno DCCCLXX in qua separati Status & territoria inter portiones Hluduici ponuntur, ubi præter Coloniam, Treuiros, Vtrach, Straburch, Basulam, &c. concurrenter, tanquam eiusdem qualitatis, numeratur S. Maximini Monasterium. Inuenies eam apud Pithœum inter Scriptores Gallicos veteres, apud Miræum in *Codice Donationum*, apud Haræum tom. i. Belg. Annalium &c. Hinc factum est, ut Prælati S. Maximini æquè atque alij immediati Imperij Status & membra ad Circulares conuentus Imperialium Statuum fuerint conscripti & conuocati. Nam ut litteris pluribus bene authenticis & sigillatis ostendi potest, quoties fuere indicta Imperialia Comititia, semper à quatuor Electoribus Rheni, atque adedè etiam Treuirensi, conuocatus fuit Abbas Maximinianus ræquam constatus & commembrum superioris Rhenici Circuli, ad cõsulendum in medium de communibus Circuli necessitatibus, & occurrentibus difficultatibus; quod factum non tulissent Electores Treuirenses (qui tamen in illud consenserunt) nisi sciuisent probè, Prælatum S. Maximini esse liberum & immediatum Imperij Statum, sicut alios, qui simili modo ex eodem Circulo conuocabantur.

In fidem dictorum, in manus fortè Scribenti occurrunt litteræ, seu citatio Alberti Moguntinensis Archiepiscopi datæ Moguntia, Lunæ post Io. Baptistæ, Anno MDXLIII. quæ euocatur ex Comitibus Palatini commissione Abbas Io. à Cellis ad Conuentum Circuli Rhenici Spiram. Item alia Friderici Comitibus Palatini data Heidelbergæ X. Iunij Anno MDLXIV. ad Abbatem Perrum, quæ euocantur homines Abbatis ad Conuentum & transuectionem militarem Circuli Rhenici Boppardæ, in qua hæc signatè habentur: *Dan ihr in Vnsern Keinschen Churfürstlichen Kreis auch gehörig so erforderen Wir als dieses Keinschen Kreis Dorister euch hiemit gnediglich.* Item alia, quam Daniel Archiepiscopus Moguntinensis dedit Atschaffenburgi vltimo Nou. Anno MDLXVI. Abbatem Perrum conuocans ad Conuentum Circuli Rhenici Bingam &c. Item alia eiusdem Danielis data Aschaffenburgi Anno MDLXVIII. vltimo Martij. Itè alia Electorū Palatini & Moguntini coniunctim data Moguntia Anno MDLXVIII. Item quatuor aliq. Electoris Palatini datæ Heidelbergæ Annis MDLXIV. LXVII. iterato LXXI. quibus omnibus Prælati Maximiniani ad Rhenici Circuli Conuentus euocantur.

S. 13. Abbas S. Maximini cessante Exemptione immediatè Imperio soluit subsidia.

HOc quidem, uti & alia supra posita de immediatione Status, clarissimè in Concilio Aulico probatum fuit hoc sæculo, uti ex sententia, superiore sectione proposita & lata post quæstionem præcipuè hoc super puncto motam, est manifestum. Verum ut toti Imperio innotescat, quid Abbas sæpè dictus

saeculis praeteritis in praestatione subsidiorum Imperialium fecerit: Item qualis illi circa hoc immunitas & exemptio ab Imperio sit concessa, pauca è multis hic referemus.

Cercissimum igitur est Monasterium, Abbatem & ditionem S. Maximini, si quando subsidia aliqua Imperialia extraordinaria soluit, id immediatè Imperio praestitisse.

Id ex matricula seu taxa Imperij, de qua paulò ante egimus, clarè constare potest. Item ex alijs certis & originalibus documentis probare possumus, diuersis temporibus pro extraordinarijs Imperij necessitatibus subsidia eidem Imperio perfoluta: veluti cum, mandato Caroli V. anno MDXXIII. Norimbergà ad Abbatem Vincentium transmissio, iussus est pro aedificandis, & factis tectis conseruandis fortalitijs ad fines Hungariae (*zuerbauung vnnnd bauwlicher vnderhaltung der grains Festungen in Bngern*) certam pecuniae summam pendere. Similiter cum iussus est Abbas Ioannes Cellis Anno MDXLIV. pro subsidio contra Turcam contribuere. Abbati quoque Petro Wormatiæ Anno MDXLVIII. iniunctum, vt aë bellicum contra Turcam, aediliumque pro muniendis Imperij finibus solueret. Et harum quidem, aliarumque similium solutionum factarum, Quitantiae siue Aepochae originales sunt praemanibus, quemadmodum etiam ingentes Caesarearum & Regiarum literarum fasciculi, quibus Abbates iuebantur, vel ipsi coram cum suis copijs militiae sese sistere, vt fere antiquiores habent literae, vel mittere subsidia pecuniaria, vt habent recentiores. Exhiberi possunt sigillatae, & plerumque ipsiusmet Imperatoris manu subscriptae, quibus in bellum aë bellicum, aequae consistoriale exigitur ab Abbate: Friderici quidè Imp. sex, Maximiliani I. octo, Caroli V. duodecim, Ferdinandi I. septem. Maximiliani II. septem, praeter alia magno numero similia documenta, pro contributionibus Imperij ad Abbatem expedita à praecipuis Diætaram Imperialium Principibus, cum Abbas abesset; à Comite Palatino tanquam Circuli Rhenensis capite; ab Archiepiscopo Moguntino tanquam Caesareo Archicancellario: quae omnes omnino litterae non ad Electorem Treuirensis, sed immediatè ad Abbatem expeditae sunt.

Has ipsas tamen omnes, quantumuis extraordinarias collectas, contributiones, earumque exactiorem & solutionem Monasterium grauitèr semper sensit & reclamauit, cum S. Henricus Imp. (vt patet ex eius constitutione Triburiensi anni MXXII. sub N. 20.) cum consensu Benedicti VIII. Papae, in praesentia plurimorum in Imperio Principum pro exemptione reciproca praestita acceperit de Monasterij S. Maximini fundis & praedijs circiter sex mille, sexcentos, quinquaginta sex mansos.

Nomine Mansi autem intelligunt Iurisperiti & familiam vnam rusticam, & tantum fundorum, quantum par boum anno vno colere valet, testor Bartholum, in l. si ita legatum ff. de auro & arg. & alibi passim, Panormitanum, in c. sancitum de censibus & ibi gl. Innocentium, ibidem. aliosque, Christophorum Broërum lib. 3. ant. Fuld. cap. 11. quos tot mansos Imperator Henrico Duci Bauariae, filio Sigifridi, Comitis Luxemburgensis & Monasterij Aduocato, atque Ezzone Palatino Comiti & Ottoni Comiti in beneficium dederit, sic enim loquitur: *Nos ex Abbatia S. Ioannis Euangelista & S. Maximini, quae in suburbio Treuirorum sita est, vbi Haricho Abbas praesse videtur, quasdam Curtes & Territoria, villas & possessiones, scilicet sex Millia sexcentos quinquaginta sex mansos, vt verius computari potuit, à praefato Abbate in beneficium accepimus, & his fidelibus nostris, Ezzone videlicet Palatino Comiti, & Henrico Duci, nec non Ottoni Comiti eadem con-*

ditione

dirione beneficiavimus, ut qui a præfatus Abbas &c. Mox subdit hæc verba: *Seruitium quod nobis & quibusdam prædecessoribus nostris de eadem Abbazia (S. Maximini) in secundo semper anno persolvebatur, in perpetuum ignoscendo indulgemus, & indulgendo ignoscimus. Et ne quis Successorum nostrorum Regum & Imperatorum idem seruitium in periculum animæ nostræ ac suæ inde ulterius exigat, nisi ea bona, quæ non tam in nostrum, quàm eorum (Imperatorum & Regum Romanorum) seruitium inde distraximus ex integro reddat aut restituat, nostra Imperiali auctoritate constituendo præcipimus & præcipiendo confirmamus.*

S. Henrici dispositionem postea confirmarunt, & eius meminerunt Conradus SALICVS Imperator, in Diplomate Treuirensi Anno MXXVI. ad S. Popponem Abbatem S. Maximini sub Num. 21. in præsentia plurimorum Imperij Principum in hæc verba: *Prædecessor noster, Henricus scilicet imp. excellentissimus ex præfata Abbazia (S. Maximini) curtes aliquas, & possessiones quàm plurimas, usque ad sex millia sexcentos quinquaginta sex mansos, ut verius computari potuit, progrediens abstulit, & quibusdam fidelibus suis earatione beneficiavit, ut ipsi & hæredes eorum pro eodem Abbate (S. Maximini) Successoribusque suis Regalem curiam peterent, & in expeditionem irent: Abbas verò sui que Successores ab omni expeditione & Regali seruitio, Imperiali prædicti Imperatoris Constitutione, liberi omninò existerent, &c.* Mox quæ eâ causâ præcipit, ne quid deinceps Monasterium patiatur, sed reliqua bona ab Henrico relicta, ad vsum Monasterij tantummodò applicentur.

Item Imp. Henricus NIGER, filius Conradi SALICI, in Moguntino Diplomate sub Num. 22. ad S. Popponem item Abbatem S. Maximini; vbi insuper eâ causâ constituit, ut quoties Abbatem ad Imperatorem accedere contigerit, id non Abbatem, sed Imperatoris expensis & sumptu fiat in hæc verba: *Quia sub Henrico Imperatore ea bona illis (Abbatibus S. Maximini) ablata sunt, unde ad militiam ire, vel nobis secundo semper anno Regale seruitium persolvere, vel se suosque victitasse videbant, voluimus atque constituimus, ut quotiescumque ad Regiam venerint, siue vocati fuerint, de Regia mensa pascantur, & inter Curiales & domesticos Regis & Regine non infimi semper habeantur.*

Item Imp. idem Henricus NIGER, in alio Treuirensi sub Num. 24. vbi postquam interuentu S. Leonis IX. Papæ, S. Maximini possessiones enumerasset, easque ad Monasterij vsus corroborasset, mox in hæc verba prosequitur: *Hæc igitur loca & omnes S. Maximini Ecclesias cum decimis, dote & dotalibus, cum cunctis salicis Decimationibus, quas in vsus peregrinorum ac pauperum, & hospitum constituimus, ad peculiaritatem fratrum DEO ibi famulantium, more Prædecessorum nostrorum Regum & Imperatorum tali modo & ea ratione delegamus & corroboramus, ut sicut Henricus Deceffor noster diuæ memoriæ Augustus instituit, postquam de eadem Abbazia ea, quæ ad expeditionem, siue ad Regale seruitium pertinebant, abstulit, nullus Imperator, nullus Rex &c. de ysdem locis &c. quicquam vel ab eorum (Maximinianorum) iure distrahere præsumat. Mox sic concludit: *Et ut hoc præceptum inde conscriptum firmum semper & stabile permaneat, non solum hoc manu nostrâ firmatum, sigilli nostri impressione insigniri iussimus; verum etiam, ut Apostolicæ defensionis auxilium, si quis eis hæc infringere voluerit, habere valeant, prædicti Patris nostri Domini, videlicet Leonis sanctissimi priuilegium inde conscriptum eidem Venerabili loco obtinere meruimus.**

Item Henricus SENIOR Imp. in Diplomate Triburiensi habet similia, iisdem prope verbis cum verbis Henrici NIGRI in Diplomate Moguntino iam proximè præcitato, prout videre est sub Num. 27.

Item Imper: Henricus IUNIOR in Diplomate Spirensi Num. 30. ubi in præsentia plurimorum Principum Imperiali authoritate omnimodis interdicat, tam Comitibus & Ducibus, quàm Aduocatis Monasterij, ne in scissionibus vel petitionibus grauentur Maximiniani; moxque rationem addit, Quia sicut in Priuilegijs Genitoris nostri Henrici, aliorumque progenitorum nostrorum, Henrici atque Chuonradi, nec non Henrici pijsissimorum Imperatorum inspexitus, sex millia, septingenti quinquaginta & amplius mansi, unde Abbas (S. Maximini) in militiam ire vel Prædecessoribus nostris, vel nostra Regalitati in secundo semper anno seruire debuit, ad hoc beneficiati sunt diuersis fidelibus nostris, Ducibus scilicet & Comitibus, ut cætera, quæ ad Præbendam fratrum remanserant &c. liberè & quietè possideant.

Eadem Carolus IV. Wenceslaus, alijque consequentes Imperatores confirmârunt.

Idipsum iam ante octingentos prope annos non ex oneroso contractu, ut proximè præcedentes Imperatores, sed ex purè gratioso, & mera liberalitate stituerant Carolini & Ottones: Arnulphus quidem Imperator in priuilegio quodam Ingelheimensi de Anno DCCCXIII. quod habemus, ubi postquam Maximinianorum possessiones enumerasset, præcipit & indulget, ut nec nobis (Arnulpho Imperatori) neque ulli (ex posteris alijs Regibus & Cæsaribus) quæ hanc Abbatiam tenuerit, aliquod seruitium impendant. Idem sanciuit Zuentiboldus Rex, itemque Carolus SIMPLEX. Idem post Carolinos statuerunt Otto MAGNVS in Rauennatensi, ubi hæc notanda: Et quoniam Sanctorum familia Regijs Ciuitatibus vel palatjs adiuncta (cuiusmodi Ciuitas & Palatium tunc erat Treuirensis Ciuitas) Regalibus, aliorumque potentium interdum opprimuntur operibus, eadem oper. à supr. adicti Confessoris Christi (de S. Maximino fuerat locutus) familia, pro anima nostra remedio, perpetualiter perdonauimus. Vide sub Num. 15. Sic & habet Otto II. Imp. in Wormatiensi in hæc verba: Eique (Monasterio S. Maximini) opera Imperialia vel comitalia funditus perdonamus. sub Num. 16. Item Otto III. Imp. in Francofurtensi sub Num. 18. Sed & idem habent in eadem verba illi ipsi Imperatores, qui oneroso contractu ab omni seruitio Imperiali Maximinianos exemerunt, ut S. Henricus Imp. in Diplomate Aquilgranensi sub Num. 19. Henricus SENIOR Imp. sub Num. 26. Carolus IV. Imp. in Treuirensi, ubi de verbo ad verbum suis inferit proximè præcedentes Henrici SENIORIS, quas vide sub Num. 39. Wenceslaus Imper. in Luxemburgensi Num. 41.

Verum cum puram illam gratiam & nudè gratiosum Priuilegium Maximinianorum S. Henricus Imp. fortè vidisset ab alijs Imperij Statibus & Principibus minùs amico vultu ferri, quòd inde existimarent se magis grauatos censuit oneroso contractu immunitatem illam Maximinianorum firmandam, ut dictum est.

Has ergo ob causas Prælati Maximiniani semper difficulter ad Collectas & Contributiones Imperij sese adduci permiserunt, præsertim idcirco, quòd tempore Sancti Henrici Imp. tam oneroso contractu & tantâ summâ suam à Contributionibus & Imperialibus seruitijs exemptionem emerint potiùs, quàm impetrârunt.

Vnde Anno MCCCCLXXIV. cum Fridericus Imp. à Monasterio eiusque subditis seruitia exigeret bellica, & ut ipse Abbas in persona cum curribus, equitibus, peditibus Monasterij, in expeditione Trapensi adesset, Antonius Abbas eodem Anno vltima Februarij pro oneris imperati relaxatione suppli-

cavit, exhibuitque Sancti Henrici Imp. Diploma, aliorumque Impp. qui à talibus seruitijs Monasterium ex contractu oneroso eximunt. Inde cum Anno MCCCCLXXXVIII. Fridericus iterum Ottonem, Antonij Successorem vocaret ad similia, ipse Abbas accessit in persona Imperatorem, & onus deprecatus est, exhibitis diplomatis S. Henrici Imp. aliorumque Regum & Impp.

Superiori sæculo Anno MDVIII. Abbas Thomas, cum à Monasterio DCCCCLXXXIV. floreni aurei pro expeditione Imperiali peterentur, ad Imperatorem Maximilianum ablegauit, qui Priuilegiorum Maximinianorum, totque Imperatoriarum Constitutionum memorem redderet, & contributionem deprecaretur. quod & factum: neque enim æquum rebatur optimus Imperator, emunitatem omnimodam tam oneroso contractu, vt dictum supra, comparatam offendere: rogatus est tamen Abbas, vt in communi tanta necessitate leuius aliquid conferret quàm quod imperatum erat, quod factum est.

Anno MDXIV. Abbas Vincentius, cum Commissarius Imperialis ob contributiones Imperiales valde instaret, ita se vigore exemptionis prædictæ sustinuit, vt ab eo nihil Jure impetrare potuerit.

Anno MDXXII. Idem Vincentius, vi prædictæ exemptionis, se excusauit Vicario & Regimini Cæsareo, quod in Diæta & Comitibus communium necessitatum causâ indictis non comparuisset. Sciendum enim S. Henrici exemptionem ex contractu illo oneroso, non modò ab expeditionibus omnimodisque contributionibus Maximianos absoluisse, sed etiam ab accessu ad Comitibus & Conuentus Imperiales, nisi Moguntiam, aut Coloniam, aut Metas indicerentur.

Anno MDXXIII. Idem Vincentius, vi prædictorum priuilegiorum obtinuit, vt CXXV. fl. consistorialis pecuniæ (*zu vnderhaltung Cammergerichts*) sibi remitterentur, eoque sine effecit, vt Monasterij emunitas & libertas in Imperiali Registratura cum alijs S. R. I. Statuum priuilegij registraretur & incorporaretur, prout adhuc haud dubiè in Imperialibus registris videre licebit. Itaque in Comitibus Imperialibus declaratus est Abbas S. Maximini *Exemptus*, vi contractus initi à S. Henrico Imp. alijsque Impp. confirmati.

Anno MDXXVI. Abbas Ioannes Cellis prædicta Diplomata in Imperij Camerali Iudicio ob similes prædictas causas edi & allegari fecit.

Quod autem aliqui Prælati contribuerint Imperio, eiusque Fiscali aut Quæstoribus, post Constitutionem S. Henrici Imp. id tributum & datum est in casibus maximè extraordinarijs & insolitæ necessitatis, ex consideratione afflicti Rom. Imperij Status per incursiones Turcicas vel similes, quoties Monasterio per domesticas rationes publico succurrere licuit. Neque enim Maximinianis visum fuit semper in rigore sequi Constitutionem illam eximentem, sed tunc ferè tantum, cum aut domestica calamitas & penuria, aut non tanta publica necessitas suadebat vsum illius. Nam & in propria calamitate non intermiserunt subinde succurrere Imperij magnis necessitatibus, præsertim ex quo Turca aliæque turbæ Europam agitare cœperunt, temporibus fere Friderici vltimi Austriaci. Exinde enim vsque ad tempora S. Henrici Imp. ob exemptionem supradictam, non comperio grauatos fuisse oneribus Imperij. Pronæ autem voluntatis Maximinianorum in supremis Imperij necessitatibus, præclarum extat testimonium Ioannis à *Metzenhausen* Archiepiscopi Treuitensis, in Missiua de Anno MDXXXIII. ad Caroli V. Imperatoris priuatum Concilium, vbi hæc habet: *Obedientiæ illorum (de Maximinianis loquitur) verum & memoriale exemplum, quàm reuerenter adhuc afflictissimi homines Gloriosissimum Im-*

peratorem vniuersalem Dominum nostrum clementissimum agnoscant, à victu ceteraq; necessitudine sibi sumptus potius subtrahentes, vt omnem ferme substantiam pro tam necessaria in Turcam expeditione liberalius erogarent. Ita ille.

Itaque licet taxæ matricularum, Indictionibusque Imperatorum inserti sint Maximiniani, vt reliqua immediata Imperij membra, tamen Iure particulari & Cæsarea Constitutione, ob grauem causam excipiuntur. Vnde spectata lege communi obligabantur quidem; sed per accidens ob priuilegium præfatum ex contractu oneroso eximuntur. Agnouit hanc distinctionem Cæsar in articulis Diætæ Imperialis Augustanæ de Anno MDXLVIII. §. *wan auch ein außgezogener*. Vbi asseritur esse in Imperio eiusmodi status, qui ratione priuilegiorum, libertatis, vel præscriptionis, ad contribuendum non tenentur, quos proinde in suis priuilegijs manutenendos & conferuandos ibidem constituitur.

§. 14. *Abbatem S. Maximini S. Rom. Imperio immediate subiectum fuisse ipsimet Archiepiscopi Treuirenses pridem fassi sunt.*

NAM Ioannes à Baden Archiepiscopus in litteris Inuestituræ Abbatis Ottonis de Anno MCCCCXCIV. & Thomæ Abbatis de Anno MDII. dicit, Monasterium S. Maximini *INSIGNE S. R. Imp.* membrum existere. Item Abbatem Regalia & c. merum & mixtum Imperium, ac exercitium temporalis Iurisdictionis ab Imperio habere & exercere, quemadmodum sui prædecessores Abbates & habuerint, & exercuerint. vide Inuestituras sub Num. 51. 53. & seqq. Idem dixit Richardus Archiepiscopus in litteris Inuestituræ Abbatis Ioannis Cellensis de Anno MDXXVI. Idem scripsit, probante Richardo, Suffraganeus eius Enenius, & typis vulgauit. Nam dicit Maximinianos habere *ein gefürsten Abt.* Idem dixit Ioannes ab Isenburg Archiepiscopus, in litteris de Anno MDXLIX. quibus ipsemet Archiepiscopus Imperatoris *Commissarius* (vt habent litteræ prædictæ Isenburgici) sibi ipsi vt Commendatori S. Maximini per procuratores Inuestituram facit. Sed & idem Isenburgicus in litteris Inuestituræ suæ Henricum Buchel appellat, *Præfectum seu Officiatum Imperialis Abbatie & Monasterij S. Maximini*, *Amptman der Kaysertlicher Abten vnd Gottshaus S. Maximin.*

Idem Isenburgicus in litteris ad Consilium Luxemburgense missis ex Wiltlich XIX. Nouemb. MDXLIX. asseruit apertissime sequentia *Unser Gottshaus* (erat enim Isenburgicus tunc Commendator S. Maximini) *zu S. Maximin ist von vndencklichen zeiten her se vnd allwege für ein Prelatur vnd inuerleibt gelidte des Heiligen Römischen Reichs/ vnd sonderlich zu der zeit/ vnd auch vor etlichen hundert Jahren vor der zeit/ daruon der Procurator General meldung thut/ vnnnd noch heutiges tags von menniglichen/ vnd zuuorab der Römischen Kaysertlicher Mayestät gehalten wird. Dann vnleugbar wahr ist/ das Ihr Mayestät selbst Unser Vorfahren vnd auch vns bey zeit vnserer Regierung/ als einen Standt des Reichs von wegen vnser Gottshaus zu denen gemeinen Reichsversamblungen beschriben. Das sie vnd wir auch mit allen Reichs Steuern (die wir auch müssen erlegen vnd bezahlen) respectiue angekschlagen vnd beladen worden: wie dan auch Ihre Mayestät zu ihrer jüngsten Kriegsvbung vnnnd volberichter expedition/ wieder derselben Rebellen vnd vngheorsame/ von vns als diser zeit Commendatarien jetzt gemelter des Reichs Prelatur zu S. Maximin/ huff vnd Steuer begern/ vnd erfordern lassen/ darin wir vns anch gehorsamblich erzeigt haben/ also/ das Ihre Mayestät selbst vns für eine Prelatur des Reichs erkandt. id est,*

Nostrum